

Et in ea que
in posterum
comparanda
erunt.

Concedenda
rum in his Re-
gibus legum au-
toritas colla-
ta.

Martini V. &
Eugenii IV.
confirmata
privilegia.

bus, & gratis munitos fore conspexerint, de præmissis omnibus, & singulis plenissime informati motu proprio, non ad ipsorum Alfonso Regis, & Infantis, vel alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam maturaque prius desuper deliberatione præhabita auctoritate Apostolica, & ex certa scientia de Apostolicæ potestatis plenitudine literas facultatis præfatas, quarum tenores de verbo ad verbum præsentibus haberi volumus pro insertis, cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis ad ceptensem, & prædicta, & quæcumque alia, etiam ante datam dictarum facultatem literarum acquisita, ea que in posterum nomine dictorum Alfonso Regis, suorumque successorum, & Infantis in ipsis, & illis circumvicinis, & ulterioribus, ac remotioribus partibus, de Infidelium, seu Paganorum manibus acquiri potuerunt, Provincias, Insulas, Portus, & maria quæcumque extendi, & illa sub ejusdem facultatis literis comprehendendi, ipsarumque facultatis, & præsentium literarum vigore jam acquisita, & que in futurum acquiri contigerit, postquam acquisita fuerunt ad prælatum Regem, & successores suos, ac infantem ipsamque conquestam, quam a capitibus de Borados, & de Nam usque per totam Ghineam, videlicet versus illam meridionalem plagam extendi, harum serie declaramus, etiam ad ipsos Alfonso Regem Successores suos, ac Infantem, & non ad aliquos alios spectasse, & pertinuisse, ac in perpetuum spectare, & pertinere, de jure, necnon Alfonso Regem, & successores suos, ac Infantem prædictos in illis, & circa ea quæcumque prohibitiones, statuta, & mandata, etiam penalia, & cum cuiusvis tributi impositione facere, & de ipsis, & de rebus propriis, & aliis ipsorum Dominis disponere, & ordinare potuisse, ac nunc, & in futurum posse libere, & licite tenore præsentium decernimus, & declaramus, ac pro potioris juris, & caute suffragio jam acquisita, & que in posterum acquiri contigerit, Provincias, Insulas, Portus, loca, & maria quæcumque, quotcumque, & qualicumque fuerint, ipsamque conquestam a capitibus de Boradoch, & de Nam prædictis Alfonso Regi, & successoribus suis Regibus dictorum Regnorum, ac Infanti præfatis perpetuo donamus, concedimus, & appropriamus per præfentes.

§. 6. Præterea cum ad perficiendum opus hujusmodi multipliciter sit opportunum quod Alfonso Rex, & successores, ac Infans prædicti, necnon personæ, quibus hoc duxerint, seu aliquis ipsorum duxerit committendum illius dicto Joanni Regi per felicis recordationis Martinum Quintum, & alterius indultorum etiam inclytæ memoriæ Eduardo eorundem Regnorum Regi, ejusdem Alfonso Regis Genitori per piæ memoriæ Eugenium Quartum Romanos Pontifices Prædecessores nostros concessorum versus dictas partes cum quibusdam Saracenis, & infidelibus

de quibuscumque rebus, & bonis, ac vitalibus, emptiones, & venditiones, pro ut, congruit facere, necnon quoscumque contractus inire, transigere, pacisci, mercari, ac negotiari, & merces quascumque ad ipsorum Saracenorum, & Infidelium loca, dummodo ferramenta, lignamina funes, naves, seu armaturarum genera non sint deferre, & ea dictis Saracenis, & Infidelibus vendere, omnia quoque alia, & singula in præmissis, & circa ea opportuna, vel necessaria facere, gerere, vel exercere, ipsique Alfonso Rex successores, & Infans in jam acquisitis, & per eum acquirendis Provinciis, Insulis, ac locis quascumque Ecclesias, Monasteria, & alia pia loca fundare, ac fundari, & construi, necnon quascumque voluntarias personas Ecclesiasticas, seculares quorumvis etiam Mendicantium ordinum regulares (de superiorum tamen suorum licentia) ad illa transmittere, ipsæque personæ inibi etiam, quæ advenerint commorari, ac quorumcumque in dictis partibus existentium, vel accedentium confessiones audire, illisque auditis, in omnibus, præterquam Sedi prædictæ reservatis casibus debitam absolutionem impendere, ac penitentiam salutarem injungere, necnon Ecclesiastica Sacramenta ministrare valeant, libere, ac licite decernimus ipsique Alfonso, & Successoribus suis Regibus Portugalliæ qui erunt in posterum, & Infanti præfato concedimus, & indulgemus.

§. 7. Ac universos, & singulos Christi fideles, Ecclesiasticos, Sæculares, & ordinum quorumcumque regulares, ubilibet per orbem constitutos, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, vel præminentie fuerint, etiam si Archiepiscopali, Episcopali, Imperiali, Regali, Ducali, seu alia quacumque majori Ecclesiastica, seu mundana dignitate præfulgeant, obsecramus in Domino, & per aspersionem sanguinis Domini nostri Jesu, cujus, ut præmittitur res agitur, exhortamur, eisque in remissionem suorum peccaminum injungimus, necnon hoc perpetuo prohibitionis edicto districtius inhibemus, ne ad acquisita, seu possessa nomine Alfonso Regis, aut inconquisita hujusmodi consentientia Provincias, Insulas, Portus, Maria, & loca quæcumque, seu alias ipsi Saracenis Infidelibus, vel Paganis armæ ferrum, lignamina, aliaque a jure Saracenis deferri prohibita quoquomodo, vel etiam absque speciali ipsius Alfonso Regis, & successorum suorum, & Infantis licentia, merces, & alia a jure permisa deferre, aut per maria hujusmodi navigare, seu deferri, vel navigari facere, aut in illis piscari, seu de Provinciis, insulis, portibus maribus, & locis, se aliquibus eorum, aut de conquista hujusmodi, seu introrittere, vel aliquid per quod Alfonso Rex, & Successores, & Infans prædicti quominus acquisita, & possessa pacifice possideant, ac conquistam hujusmodi prosequantur, & faciant per se, vel alium, seu alia, directe,

Concessa extruendarum Ecclesiarum potestas.

Ferrum, & lignamina ad Barbaros deferri prohibita.

Censura Ecclesiasticæ prævaticatus in fide.

recte, vel indirecte, opere, vel consilio facere, aut impedire quoquomodo præsumant.

§. 8. Qui vero contrarium fecerit ultra poenas contra deferentes arma, & alia prohibita Saracenis quibuscumque jure promulgatas, quas illos incurrere volumus ipso facto si personæ fuerint singulares excommunicationis sententiam incurrant; si communis, vel Universitas, Civitas, Castri, Villa, seu loci, ipsa civitas castrum, villa, seu locus interdicto subiaceat eo ipso, necnon contrafacientes ipsi, vel aliqui eorum excommunicationis sententia absolvantur, nec interdicti hujusmodi relaxationem Apostolica, seu alia quavis auctoritate obtinere possint, nisi ipso Alfonso, & Successoribus, ac Infanti prius pro præmissis congrue satisfecerint, aut desuper amicabiliter concordaverint cum eisdem, mandantes per Apostolicam scripta venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Ulixbonensi, Silvensi, ac Ceptensi Episcopis, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, quoties pro parte Alfonso Regis, & illius Successorum, ac Infantis prædictorum, vel alicujus eorum desuper fuerint requisiti, vel aliquis ipsorum fuerit requisitus illos, quos excommunicationis, & interdicti sententias hujusmodi incurrisse constituit tamdiu Dominicis, aliisque festivis diebus in Ecclesiis, dum inibi major populi multitudo convenerit ad divinum, communicatos, & interdictos, aliisque prædictis innodatos fuisse, & esse auctoritate Apostolica declarent, & denuncient, necnon ab illis nunciari, & ab omnibus arctius evitari faciant, donec pro præmissis satisfecerint, seu concordaverint, ut præfertur.

§. 9. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 10. Ceterum ne præfentes litteræ, quæ a nobis de nostra certa scientia, & matura desuper deliberatione præhabita emanarunt, ut præfertur, de subreptionis aut nullitatis vitio a quoquam imposternis valeant impugnari, volumus, & auctoritate apostolica, scientia ac potestate prædictis, harum serie decernimus pariter, & declaramus, quod dictæ litteræ, & in eis contenta de subreptionis, vel obreptionis, vel nullitatis, etiam exordinarie, vel alterius cuiuscumque potestatis, aut quovis alio defectu impugnari, illarumque effectus retardari, vel impediri nullatenus possint, sed in perpetuum valeant ac plenam obtineant roboris firmitatem; irritum quoque sit, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel inguoranter contigerit attentari.

§. 11. Et insuper quia difficile foret præfentes nostras litteras ad quæcumque loca deferre. Volumus, & dicta auctoritate harum serie decerpimus, quod earum

Tom. III, Pars III.


transumpto manu publica, & sigillo Episcopalis, vel alicujus Superioris Ecclesiasticæ curiæ munito plena fides adhibeatur, & perinde stetur, ac si dictæ originales litteræ forent exhibite vel ostensæ, & excommunicationis aliaque sententiæ in illis contentæ infra duos menses computandos a die, qua ipse præfentes litteræ, seu cartæ, vel membranæ earum tenorem in se continentes valis Ecclesiæ Ulixbonensis affixæ fuerint, perinde omnes, & singulos contrafacientes prædictos liquet, ac si ipse præfentes litteræ eis personaliter & legitime intimatæ, ac præsentatæ fuissent.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, constitutionis, donationis, concessionis, appropriationis, Decreti, obsecrationis, exhortationis, injunctionis, inhibitionis, mandati, & voluntatis infringere, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto, sexto idus Januarii, Pontificatus nostri anno octavo.

Datum die 8. Januarii Anno Domini 1454. Pontif. An. 8.

CALLISTUS TERTIUS
P A P A C C X I .
ANNO DOMINI MCCCCLV.



Callistus Tertius Hispanus antea Alphonfus S. R. E. Tit. SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis Borgia Valentinus Episcopus electus est in Pontificem die 8. Aprilis 1455. Sedit in Pontificatu temporibus Friderici III. Regis Romano.

K

manorum Annos III. Menses III. Dies XXIX. duabusque promotionibus IX. creavit Cardinales. Obiit die 6. Augusti 1458. & Sepultus est in Basilica Vaticana. Vacavit Sedes Dies XIII.

I.

Thesaurarius, & Clerici Reverendæ Cameræ Apostolicæ, veri familiares Papæ, ejusque, & Sedis Apostolicæ Cappellani esse declarantur.

CALLISTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

QUÆ laudabili, & provida prædecessorum nostrorum ordinatione gesta, seu approbata, vel statuta sunt, opportunis nos decet favoribus proficere, & efficacem operam adhibere circa observantiam eorumdem.

Eug. iv. nonnulla statuit quo ad Clericos.

§. 1. Dudum siquidem Eugenius Papa IV. prædecessor noster.

Omittitur residuum, quia bul. Eug. est sup. fol. 263. inter.

Nic. v. Clericos supernumerarios, a consultationibus se abstinere, & a Camera clausi esse debere decrevit.

§. 2. Et subsequenter præfatorum prædecessore rebus humanis exempto, per prædecessorem nostrum, accepto. quod in præfata Camera Clerici supernumerarii hujusmodi adeo excreverant, ut sæpe contingeret plures uno, & eodem tempore ad hujusmodi peragendum officium in ipsa Camera simul sedere, confusio quadam inter eos oriebatur. Itaque ipsius officii quod inter cetera Romane Curie officia insignis, & præcipuum existit, auctoritas, non parum minui videbatur, quodque ea que in eadem Camera, secus ab iis qui intra septenarium numerum juxta statutorum ordinationem, & capitulorum continentiam hujusmodi tractabantur, ex supernumerariorum multitudine prædictorum, facile in publicam vulgi notitiam deveniebant. Idem Nicolaus prædecessor inconvenientibus hujusmodi salubriter obviare volens, Motu proprio, auctoritate Apostolica, ex certa scientia, per alias suas literas decrevit, & statuit, & etiam ordinavit, quod omnes, & singuli extra septenarium numerum Clericorum participantium, tam a Nicolao, quam Eugenio prædecessoribus præfatis eatenus creati, & in posterum creandi, quos in dicta Camera quandocumque, & quotiescumque fieret, seu teneretur, adesse contingeret postquam audientiam, in ea proponentibus pro tempore noveriat datam, sive præstitam, ipsique omnes ut est moris licentiam forent, simul cum illis exire, dictisque numerariis ut se invicem claudere, & super causis proponentium hujusmodi deliberare, ac super ceteris expediendis ejusdem Cameræ negociis consulere, & determinare valerent, omnino cedere,

ipsosque quietos dimittere, & a deliberationibus, & consultationibus hujusmodi prorsus se retrahere, & abesse deberent, ac etiam tenerentur.

§. 3. Nec aliquis eorum quovis quæsito colore contra præmissa, vel aliquid præmissorum, quicquam impetrare, seu alias quomodolibet attentare præsumeret. Volens quemlibet supradictorum hujusmodi, excommunicationis sententiam, ac reatum periurii, officii sui, omnisque ejus privilegii immunitatis, & prerogativæ amissionem incurrere ipso facto, prout in singulis Eugenii, & Nicolai prædecessorum hujusmodi literis, quarum tenores pro expressis haberi volumus, continetur.

Contravenientibus poenas inflixit.

§. 4. Cum itaque sicut etiam accepimus, inter alia ejusdem Cameræ statuta, ut præmittitur confirmata, diutiusque laudabiliter observata, caveatur expresse, quod ex ipsis septem numerariis, illi qui publica vel private rei causa absentes fuerint, nihil omnino percipere aut petere valeant, nisi duarum ex tribus partibus voto decernatur; ita quod emolumenta, que absentibus si præsentibus essent contingere deberent, haberent inter superstites præsentibus dividi.

Statuta Cameræ etiam caveatur, Clericos absentes nihil percipere posse, nisi &c. ut in dicta bulla Eug. iv.

§. 5. Tamen ipso Nicolao adhuc in humanis agente, execrabilis quorundam ambitio, avaritiæque cœcitas eorum oculos adeo excœcavit, ut post, & contra statutorum, & ordinationum hujusmodi confirmationes, approbationes, ac in contravenientes sententiarum promulgationes, illa infringere temere satagentes, excommunicationis sententiam, periuriique reatum non formidantes, importuna eorum instantia, ab eodem Nicolao prædecessore, non tam obtinuerunt, quam extorquere præsumpserunt, se necdum ad locum Numerariorum absentium, & vota danda, sed etiam ad emolumenta, ipsis Numerariis propter earumdem absentiam denegata recipi, & admitti, licet de facto, in eorumdem Numerariorum præsertim presentium Clericorum præjudicium, non modicum atque damnum.

Sed tamen aliqui ad locum Clericorum numerariorum vota, & emolumenta se admitti impetrabant.

§. 6. Nos igitur nostrorum prædecessorum vestigiis inherentes, ac tales præsumptores contra statuta hujusmodi admittos, ne id aliis trahi valeat in exemplum, amoventes, amotosque fuisse, & esse nunciantes, motu proprio non ad eorumdem Clericorum vel aliorum pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, ex certa scientia, omnes, & singulas Eugenii, & Nicolai prædecessorum statutorum eorumdem confirmatorias literas, ipsa statuta concernentes, harum serie innovamus, confirmamus, & approbamus, ac plenam roboris firmitatem obtinere velle decernimus, eaque de cetero juxta eorum continentiam atque formam inviolabiliter observari volumus, & mandamus decernentes, per receptionem, & admissionem præsumptorum, & amotorum eorumdem, necnon quorumcumque per eos perceptorum fructuum perceptionem, nullum Clericis

Hic ideo Pontifex, dist. R. Cameræ statuta, & Eug. iv., & Nicol. Bullas innovat, prædictosque sic intrusos amovendi mandat.

Statutis, & bullis, prædictis, nonnulli certa hic data forma, derogari posse decernit.

ricis, & statutorum observationi hujusmodi, præjudicium generari potuisse, si ve posse.

§. 7. Et nihilominus motu, & auctoritate, & scientia similibus, hac irrefragabili constitutione statuimus, & ordinamus, quod etiam sub prædictis excommunicationis, & periurii penis, nullus de cetero prætextu quorumcumque literarum etiam Apostolicarum a nobis, seu de mandato nostro emanatarum, nisi in illis presentium de verbo ad verbum insertio fiat, ad hujusmodi absentium emolumenta, seu ad vota exhibenda, vel alias contra statuta ipsos exercenda, recipi, vel admitti. Decernentes omnes, & singulas, per quoscumque impetrandas literas, iustiones, & mandata, ad id non extendi: Clericosque seu gentes Cameræ hujusmodi, illis, contra tenorem statutorum suorum, obedire non teneri, vel ad id a quoquam quavis auctoritate coarctari, seu propterea interdici, suspendi, vel excommunicari non posse. Irritum, & inane, si secus super iis, a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentatum forsan est hæcenus, vel in posterum contigerit attentari.

Thesaurario, & Clerico numerariis, privilegia concedit.

§. 8. Præterea ut eo magis se nobis, & Apostolicæ Sedi devotiores exhibeant, quo ex hoc a nobis conspexerint, se majoribus attolli favoribus & gratiis, Thesaurarium, & singulos septem Clericos ipsos, nostros & Sedis præfate veros Cappellanos, ac etiam nostros veros familiares, & continuos commensales fuisse, & esse harum serie nunciamus, eosque tales tam in afectione beneficiorum, sub eorum expectativis gratiis sibi pro tempore concessis, quam alias reputamus, ac omnibus, & singulis illis prorsus similibus privilegiis, gratiis, concessionibus, antelationibus, prerogativis, favoribus, & indultis, quibus alii familiares nostri continui commensales utuntur, & gaudent, seu uti, & gaudere poterunt in futurum, uti pariter, & gaudere potuisse, atque posse, & debere, motu, auctoritate, & scientia præmissis decernimus, & etiam declaramus, volumusque, & concedimus per præsentem.

Nulli ergo &c.

Dat. P. A. r. die 8. Maii.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, octavo Idus Maii, Pontificatus nostri Anno primo.

I I.

Declaratio, quod Canonici Congregationis S. Salvatoris, Ordinis S. Augustini, sunt veri Canonici regulares dicti Ordinis, eorumque privilegiis omnibus perfruuntur.

CALLISTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

S Acra merita religionis, sub qua dilecti filii Prior generalis, & Canonici de Congregatione S. Salvatoris, Ordinis Sancti Augustini, in humilitatis spiritu, devotum, & sedulum exhibent Altissimo famulatum, non indigne merentur, ut votis eorum, in iis que favoris sunt, & gratiæ, Apostolici favoris præsidium liberaliter impendamus.

§. 1. Sane pro parte Prioris, & Canonice prædictorum, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi quibus ab Apostolica Sede per ejus literas, ut omnibus, & singulis privilegiis, indulgentiis, gratiis, exemptionibus, & libertatibus, aliis Canonice regularibus dicti Ordinis generaliter concessis, & quibus ipsi Canonici regulares, & eorum loca in genere potiuntur, & gaudent, ipsi quoque & eorum domus potiri, & gaudere valeant, concessum fore dignoscitur, ex certis eorum animos moventibus rationabilibus causis, cupiant se fore veros dicti Ordinis regulares Canonicos, per Sedem prædictam declarari, & pro talibus in posterum ubique censerentur. Quare pro parte Prioris, & Canonice prædictorum, assensentium, quod ipsi secundum regularia instituta dictorum Canonice regularium profitentur, & degunt, ac Rochetum prout alii Canonici prælibati deserunt, nobis fuit humiliter supplicatum, uti ipsorum voto super hoc opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Congregationis supplicatio, pro obtinenda subsecquenti declaratione.

§. 2. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati Priorem, & Canonicos de Congregatione hujusmodi, fuisse, & esse veros Canonicos regulares dicti Ordinis, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia tenore presentium declaramus. Decernentes quod ipsi de cetero perpetuis futuris temporibus pro talibus censerentur, haberi, & reputari, necnon omnibus, & singulis præ eminentiis, etiam in publicis actibus, ac privilegiis, & gratiis quibus prælibati Canonice regulares, generaliter potiuntur, & gaudent, potiri, & gaudere debeant, ut existentes veri Canonice regulares Ordinis prælibati. Ac mandantes quorumcumque locorum diœcesanis, ut eos pro talibus in singulis publicis, & aliis actibus censerent, ac etiam reputari.

Declaratio hujus Pontificis, quod isti Canonici sunt veri Canonice regulares Ordinis S. Augustini, & eorum privilegia potiuntur. Hoc idem decrevit Jul. II. cit. in rub.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogat in ceteris, trarium.

Nulli ergo &c.

Si quis autem &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto, decimo sexto Kalendas Junii Pontificatus nostri Anno II.

D. P. A. II. die 17. Maii.

Sanctio ad evitandum quodlibet Christianorum cum Judæis, & Saracenis commercium rescissis quibuscumque Privilegiis ante hac eisdem concessis.

CALLISTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex Rainaldo continuat
Annal. tom.
XVIII. pag.
480.

Exordium.

SI ad reprimendos transgressorum excessus nostra nimium mansuetudo lenescat, eorum temeritas sit proclivior in alios derivatur. Propter quod ad Apostolicum nostrum spectat officium, etiam iurium innovatione priorum sic debitam executionem adhibere iustitiam, quod ea, que in divina Majestatis offensam, perniciosumque exemplum fidelium, & scandalum cedere dignoscuntur, ne deteriora producant, submovere, & committendorum imposterum audaciam interdicere, procuremus.

§. 1. Dudum siquidem Eugenius IV. primo, & deinde Nicolaus V. Romani Pontifices prædecessores nostri ex certis rationabilibus causis tunc expressis omnia, & singula per eos, vel alios prædecessores nostros Judæis in quibuscumque, Dominis, & terris commorantibus concessa privilegia, concessionem, & indulta ad terminos juris communis dumtaxat reduxerunt, nec ulterius operari, aut extendi, vel interpretationem aliam pati posse, per diversas literas suas declaraverunt.

§. 2. Postmodum vero ad nostram audientiam non sine cordis amaritudine iterato deducto, quod quamquam per ipsos prædecessores nostros fuisset, ut præmittitur, declaratum: ipsi tamen Judæi, a tramite iustitiam continuo oberrantes, concessionibus, privilegiis, & indultis huiusmodi adeo abutuntur, quod ea quæ honestis suadentibus causis ad salubres, & bonos effectus eis gratiose concessa fuerant depravant, & ad eorum perverfas passionem accomodantes, multa, & diversa turpia, & inhonesta illorum prætextu committunt, ex quibus fides, & mansuetudo Christiana leditur, & in mentibus fidelium scandalum generatur, & licet Sacrorum, canonum institutis caveatur expresse, quod Judæis ipsis liceat, quidve fuerit interdictum; nihilominus Judæi prædicti, & Saraceni tam in Italia, quam aliis diversis mundi partibus inter Christianos commorantes propriis effectibus, & antiquæ eorum perfidiæ incumbentes dum constitutionum, Decretorum, & Decretalium epistolarum huiusmodi sensum legitimum ad sua vota non habent, ut illis illudere valeant, adulterinis depravant sensibus, & expressionibus perverfis obfuscant, veteremque ipsorum malitiam, & temeritatem in Christianos propagare, & continuare, ac in dies eorum nequitia presumptiosius uti non verentur in maximum Christi-

Judæi, & Saraceni Christianis benignitate abusi sunt.

stianæ fidei vilipendium, animarum quoque fidelium periculum pariter, & iacturam.

§. 3. Nos, ut Judæi, Saraceni prædicti, ac illorum fautores impii Christiani, pænarum impositionibus territi, vereantur in antea in eorum perniciosos ausus relabi, & Christi fideles in sua persistentes fidelitate constanter non habeant propter illorum claudicare perfidiam, remediis, quibus pollumus, prout ex debito Pastoralis officii tenemur, præcavere cupientes, ad orthodoxæ fidei corroboracionem, & exaltacionem præsentis perpetuo valituræ, & irrefragabiliter observandæ constitutionis edicto, auctoritate Apostolica omnia, & singula decreta, constitutiones, & Decretales Epistolas prædictas, quorum omnium tenores de verbo ad verbum presentibus haberi volumus, pro insertis, innovamus; necnon sancimus, statuimus, & ordinamus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus Christiani cum Judæis, & Saracenis comedere, aut bibere, seu ipsos ad convivia admittere, vel eis cohabitare, aut cum ipsis balneari, vel ab eis in eorum infirmitatibus, aut debilitate, seu alio quocumque tempore medicinam, vel potionem, seu vulnerum, & cicatricum curationem, sive aliquid medicabile genus recipere non debeant, ac Christiani non permittant Judæos, & Saracenos contra Christianos dignitatibus Secularibus præfici, vel officia publica exercere.

§. 4. Judæi quoque, & Saraceni non possint esse arrendatores, collectores, conductores, seu locatores fructuum, bonorum, vel rerum Christianorum, seu eorum computatores, procuratores, economi, negotiorum gestores, negotiatores, mediatores, proxenetæ, concordatores sponsalium, vel Matrimoniorum tractatores, obstetrices, seu in domibus, aut bonis Christianorum aliquid opus exercere, vel cum Christianis societatem officium, aut administrationem vel aliqua communione, vel arte, seu artificio habere, ac nullus Christianus Judæis, vel eorum Congregationi, seu Saracenis in Testamento, aut ultima voluntate aliquid relinquere possit vel legare.

§. 5. Judæi quoque Synagogas erigere, aut construi facere non audeant, sed antiquas dumtaxat, non tamen ampliores, seu pretiosiores solito reficere valeant, & in lamentationum, ac Dominicæ passionis diebus per loca publica, seu publice non transeant, vel incedant, nec hostia, vel fenestras teneant apertas, & ipsi Judæi ac Saraceni ad solvendum quascumque de quibusvis rebus, & bonis decimas astringi, & compelli, ac contra eos, in quibus casibus Christiani testes esse possint, & Judæorum, & Saracenorum contra Christianos in nullo casu testimonium valeat, & apud Christianos Judices pro eis specialiter deputatos, nec suorum seniores Judæi, & Saraceni in quibuscumque causis agant, & conveniantur.

§. 6. Nec possint Judæi, & Saraceni nutri-

Veritas cum
Judæis cohabitatio & convivium.

Blasphemi Judæi, & Saraceni merito pæna Justitiam affici.

nutricem, vel familiarem, aut servitorem utriusque sexus Christianum in domo tenere, nec etiam Christiani in Sabbatis, seu Judæorum festivitibus Judæis ipsis ignem accendere, vel cibum, aut panem, seu quodcumque opus servile ad decorem cultus festivitatem eorundem quomodolibet exhibeant, vel servitium aut obsequium aliquod præsent, vel impendant.

§. 7. Seculares quoque Judices Christiani Judæos, vel Saracenos Deum, aut gloriosam beatam Mariam Virginem ejus genitricem, vel aliquos Sanctos blasphemantes, aut in hoc quomodolibet delinquentes pecuniaria, vel alia graviore, de qua eis videbitur pæna puniant, & corripiant. Necnon omnes, & singuli Judæi, & Saraceni cujuscumque sexus, & ætatis, vel conditionis, distinctum habitum, ac notoria signa per quæ a Christianis cognosci possint, ubique deferant, & si secus fecerint puniantur. Cum Saracenis non habitent, sed separatim, & seorsum degant. A Christianis insuper usuras nullatenus extorquere præsumant extortas vero illis a quibus eas extorserint, si supersint, & appareant sine difficultate, aut dilacione aliqua restituant alioquin illis non apparentibus, & in remotis agentibus omnes, & singulæ pecuniarum summe ex hujusmodi usuris extortæ in expeditiorem sanctissimam contra Turcas, aut alios Christiani nominis inimicos penitus convertantur.

§. 8. Et insuper ut tam Christianifideles, quam Judæi, & Saraceni, in Italia, & aliis mundi partibus inter Christianos, ut præmittitur, commorantes præsentem, & futuri ad Decretorum, & Decretalium Epistolarum, ac prædictarum, & præsentis nostræ constitutionis hujusmodi observationem omnimodam noverint efficaciter se teneri, nec vigore, seu prætextu quorumvis privilegiorum, exemptionum, libertatum immunitatum, concessionum, & indultorum, eis quomodolibet, & ea quibuslibet concessorum, ab observatione prædicta valeant aliquatenus se tueri, omnia, & singula privilegia, exemptiones, libertates, immunitates, concessionem, & indulta per felicis recordationis Martini Papam V. seu Eugenium, ac Nicolaum præfatos ceterosque Prædecessores nostros Romanos Pontifices, & alios quocumque tam Regibus, & Principibus, quam communitatibus Civitatum, universitatibus, & quibuscumque dominis locorum, seu aliis quibusvis fidelibus, ac eisdem Judæis, & Saracenis in specie, vel in genere, sub quibusvis verborum formis, etiam motu proprio, & sub quacumque forma, vel expressione verborum etiam derogatoriorum, contra præmissa, vel eorum aliquod quomodolibet facta, vel concessa, quæ omnia similiter præsentibus haberi volumus pro insertis, necnon quæcumque inde secuta, eadem auctoritate, cassamus, revocamus, & annullamus, ac nullius decernimus existere roboris, vel momenti.

§. 9. Præterea universos, & singulos

venerabiles Fratres nostros Patriarchas, Primate Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios Principes Dominos temporales, Capitaneos, Barones, milites, nobiles, communitates Civitatum, Universitatum, locorum, & ceteros quocumque Christianifideles Ecclesiasticos, & Seculares, in præfatis Italia, & aliis mundi partibus, ut præmittitur, commorantes cum quocumque status, gradus, vel conditionis fuerint, obsecramus in Domino, & per asperionem Sanguinis Domini nostri Jesu Christi exhortamur, eisque in remissionem suorum peccaminum injungimus, & ut ipsi Decreta, Decretales Epistolas, & constitutiones prædictas observent, & per eorum tam Christianos, quam Judæos, & Saracenos subditos faciant inviolabiliter observari. Et nihilominus eisdem utriusque sexus quatenus infra quindecim dierum spatium a die publicationis ejusdem in loco, in quo ipsi degunt, faciendæ computandorum, omnia, & singula Decreta, Decretales Epistolas, & constitutiones prædictas, ac in illis, & in præsentis nostræ constitutionis literis contenta observare incipiant, & observari faciant cum affectu, nec de cetero ullo unquam tempore contra præmissa, vel aliquod præmissorum, in toto, vel in parte per se, vel alium seu alios, quovis quæsito colore directe, vel indirecte, venire facere, seu aliter attentare audeant, vel præsumant: alioquin lapsis diebus eisdem, Judæi, vel Saraceni, qui mandato, præcepto, & literis hujusmodi resistere præsumpserint, & cum effectu non parverint, privationis, seu amissionis omnium bonorum suorum mobilium, & immobilium penam incurrant, quæ quidem bona, vel eorum pretium per executores, seu executores nostros ad hoc specialiter deputatos, sive pro tempore deputandos in opus hujusmodi sanctissimæ expeditiõnis, ac Reipublicæ Christianorum utilitatem converti volumus, & harum serie auctoritate prædicta exponi mandamus.

§. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum innovacionis, sanctionis, statuti, ordinationis, prohibitionis revocationis, exhortationis, & mandati infringere, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnacionis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto, quinto Kalendas Junii, Pontificatus nostri anno secundo.

Judices ad Pontificia Decreta servanda obstricti.

Conclusiones.

Datum die 8. Maii An. Domini 1456. Pontif. An. II.

Qui

Qui Christiani quomodo in servitute redigere, alique vendere audent, subiciuntur anathemati: propositis eos quomodolibet liberantibus indulgentiis.

CALLISTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Illud reputantes non tam Christiana Religioni detestabile, quam Deo odiosum, quod Christiani nominis vocabulo insigniti in fratres suos cum eis in una fide, & uno Baptismate in uno Ecclesie corpore adjunctos, praesertim eos, qui in inimicorum crucis Christi ditionibus commorantur, persecutionis gladio absque iusta causa deserviant, & eos in continua afflictione, positos amplioris afflictionis immanitate consumunt, quibus potius omni humanitatis gratia, ac charitatis, & pietatis affectu adesse deberent, ex officii nostri urgemur debito, ut adversus talia perpetrantes rigorem exerceamus ultricis iustitiae, & illi adiciamus debite executionis praesidium, quo commissa corrigantur, & interdicatur audacia quibuslibet similia impostum committendi. Illos vero, qui dictos Christianos ab eorumdem infidelium ditione divertentes humanitatis, & charitatis beneficiis prosequuntur, dignos reputamus impendii, & remunerationibus specialium gratiarum.

Christiani in Christianos fecerunt eorumque bona diripiunt.

§. 1. Sane lamentabilis multorum querela nostrum super turbavit auditum, amaricavit & mentem, quod nonnulli iniquitatis filii, a quorum oculis timor Domini abscessit, tum in orientales partes suis navigiis declinant, in Christianos in eisdem partibus magni Turchi, & Soldani Babiloniae ditioni subiectos commorantes, & aliquando ad Christianorum loca pro suis salvandis animabus divertentes more piratarum irruunt, & eos capiunt, & in servitute redigunt, ac in servos vendunt, necnon bona, si qua tenuerint, vel habuerint, depradantur, & in praedam asportant.

Excommunicantur.

§. 2. Nos igitur huiusmodi excessus sub silentio pertransire nequeantes, ne impunitatis exemplum periculosius derivetur in alios, & delinquentium voluntas laxior fiat ad peccandum, omnes & singulos, sive sint piratae, sive Curarii, aut Latrunculi maritimi, sive alii promercantiis excedendis, aut ex quibusvis aliis causis ubilibet navigantes, qui Christianos in quibusvis infidelium ditionibus commorantes, seu ad Christianorum loca divertentes capiunt, & in servitute redigunt, ac in servos vendunt, eosque depradantur, ex parte Dei omnipotentis auctoritate Petri, & Pauli Apostolorum, atque nostra praesentium serie excommunicamus, & anathematizamus.

Derogatio.

§. 3. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, & indulgentiis, eis, vel eorum aliquibus ab Apostolica Sede sub qua-

vis forma vel tenore concessis, quod excommunicari non possint, quae ne quominus includantur per ea se tueri possint, quoad hoc prorsus tollimus, & revocamus omnino statuentes, & decernentes, quod nullus, qui praedictas sententias incurrerit, ab illis per alium quam Romanum Pontificem possit, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi, nec etiam tunc nisi satisfactionem, aut de ea praestanda, ac de stando mandatis Ecclesiae sufficienti cautione praestiterit.

Ordinarii, & Domini temporales Locorum animadvertant.

§. 4. Praeterea omnibus Ordinariis, & Dioecesanis, necnon Dominis temporalibus locorum, ad quae praedictos excessus committentes declinaverint, in virtute sanctae obedientiae, ut si nostram, & dictae Sedis indignationem evitare voluerint, districte praecipiendo mandamus, in suorum remissionem peccatorum injungentes eisdem, quatenus quamprimum ipsis constituerit de dictis excessibus per illos, qui sic ad eorum loca declinaverint, commissis, Ordinarii videlicet, & Dioecesani, ipsos dictis sententiis irretitos fore publice denuntiari faciant, ac ab omnibus arctius evitari, temporales vero Domini eorumdem locorum eos sub arcto arresto teneant, donec ipsos captos Christianos, etiam si eos aliis in servitute vendiderint, libertati restituant, & eis de damnis, & iniuriis ipsis illatis satisfecerint congruenter.

Inobedientes coercant.

§. 5. Infaper eadem Dioecesani, & Ordinarii quoscumque in eorum Civitatibus, & Dioecibus pro tempore constitutos, qui praemissos excessus praeteritis temporibus commiserint, quamprimum ipsis de hoc constituerit, eos sub simili excommunicationis, & anathematis poena moneant, & requirant, quatenus infra competentem, quem ipsis ad hoc praefixerint, terminum quoscumque, quos ex dictis Christianis captivarunt, ab ipsorum captivitate relaxent, & eos, etiam si ipsos aliis vendiderint, libertati, ipsique ablata restituant, & de eis irrogatis violentiis, & iniuriis satisfaciant competenter, vel si fortassis ipsi captivi jam obierint, restitutionem, & satisfactionem huiusmodi ipsorum haeredibus praestent, alioquin lapsio termino huiusmodi, ipsos in dictas censuras, quas in eos ex tunc proferimus, incidisse declarent & eos ut tales faciant arctius evitari; Domini vero temporales eos ad relaxationem & satisfactionem huiusmodi per ipsorum, & bonorum suorum arrestationem, & si opus fuerit, per incarcerationem eorumdem eadem auctoritate nostra compellant.

§. 6. Coeterum ut dicti Christiani, qui ab Infidelium ditione, & potestate recedere voluerint, in hoc Christi fidelium eorumdem opulationem inveniant, fideles quoslibet ad dictas infidelium partes navigiis declinantes in Domino requiramus, & rogamus attente, quatenus ipsos in suis navigiis receperint, & benigne tractent, & si eorum egestas id requisierit, etiam absque cuiuscumque solutione noliti cum suis bonis, & rebus conducant. Nos, ut Christiani ipsi dictos fideles inter ipsos

Remissio tertiae partis peccatorum, his qui Christiani deles liberaverit.

Sanctio penalis.

iplos Infideles commorantes ab eorum ditione divertentes, vel recedere volentes eos libentius in suis navigiis receperint ac cum rebus, & bonis, ac familia sua gratis, & absque alia solutione ad Christianorum loca conducant, omnibus illis, qui sic eos in suis navibus receperint, & conduxerint ipsique charitatis humanitatis, beneficia impenderint dummodo in unitate fidei catholicae, ac obedientia, & reverentia S. R. E. atque nostra, & successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persisterint, remissionem tertiae partis omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Apostolorum auctoritate confisi concedimus per praesentes; sic tamen quod si per eos alicui aliqua satisfactio praestanda fuerit, illam praestare teneantur, nec propter concessionem huiusmodi procliviores reddantur sub spe remissionis huiusmodi ad illicita impostum committenda; alioquin si ex confidentia remissionis huiusmodi aliqua forte committerent, quo ad illa praedicta concessio ipsis nullatenus suffragetur.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum excommunicationis, anathematizationis, revocationis, statuti, constitutionis, mandati, prolationis, requisitionis, & concessionis infringere &c.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto, Kalendis octobris Pontificatus nostri anno secundo.

V.

Sanctorum Confessorum Pontificum Canonis adscribit Beatum Osmundum, Saresberiensem in Anglia Episcopum, cum festi eiusdem Sancti institutione.

CALLISTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Summus Pontifex, qui aeternae legis imperio cuncta, quae coadidit provida moderatione gubernat, ante mundi constitutionem per lapsum Protoplasti humanum genus miserabilis servituti, mortis scilicet, & damnationis aeternae, obnoxium fore providens, ut pravariatione perditum hominem, quem ab Angelis paulo minore ad suam imaginem, similitudinemque formavit, non suis meritis, sed inestimabili sua charitate, congrua satisfactione redimeret, & sui unigeniti Coheredem, de summo coelorum solio ad ima perspicens, nihilque decentius redemptioni nostrae, plenitudine temporis ingruente, Verbi sui incarnatione dijudicans convenire, unicum suum filium ante Luciferum, & saecula genitum in uteri praecelae Vir-

ginis habitaculum Angelo nunciante, & eodem spiritu obumbrante transmisit, ut trabea nostrae mortalitatis assumpta visibilis appareret, fieretque salubre remedium, singulare praesidium, & pro peccatis hominum propitiatio Deus homo, cuiusquidem ab infantia actiones, & gesta ad nostram profecto doctrinam nostramque salutem instituta, donec e mundo tranlaturus ad Patrem pacem discipulis, pacem terris, & cunctis fidelibus postrema secundum carnem relinqueret voluntate, tot vitae exemplaris mysteriis, tot insuper salutaribus Sacramentis redundare noscuntur, ut ineffabilem Divinae Sapientiae altitudinem, incomprehensibilem scientiam, profunda consilia, rerum ordinem admirabilem, & investigabiles vias lingua carnis disserere aut intellectus investigare nequeat, cum imperfectio conditionis humanae non solum in causis operum deficiat perscrutandis, verum in ipsis causarum operibus vix sufficiat admirari, quod utique vas ille electionis ad coelum usque tertium raptus, admiratione, & stupore repletus, prorumpens in vocem exclamat! O altitudo divitiarum sapientiae, & scientiae Dei! Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & investigabiles vias eius! Alto igitur illius consilio, qui secundum ordinem Melchisedech Sacerdos est maximus, factum est, ut ex eadem Virgine natus orbis conditor, & progressus in tempus renovandis fontem Baptismatis quemadmodum de aeterna morte iter nobis pararet ad vitam Stupentis in unda Jordanis, proprio lavacro Sacrisque operibus plurimis doceret pariter, & exemplis; & ne quisquam fugacis vitae huius alleclus illecebris commutationem praesentium pro aeternae gloriae adeptione paveret, postquam cuncta ad nostram salutem rite peregerat, immaculatam se fe hostiam in ara crucis morte quidem turpissima obtulit Deo Patri; sui que pretiosissimi Sanguinis effusione, non auro, naturam redemit humanam, militantemque fundavit Ecclesiam, consecravit, & ne portis Inferi, aut mortis legibus subiaceret usque ad finem Saeculi stabilivit, & quamvis perfectionis suae comites Sanctos Apostolos, aliosque discipulos corporali praesentia relicurus, se nobiscum semper adesse praedixerit, pro regendo tamen universalis tunc nascentis Ecclesiae firmamento, caelestis regni clavigero Petro in suam successorumque Pontificum personas claves Regni Coelorum, ligandi videlicet, & solvendi edidit potestatem, sui que gregis, sui que ovilis curam vigilem, ac regimen speciale commisit, sponsamque suam nullam habentem rugam, neque maculam Sacrosanctam Ecclesiam Apostolicam, quae non faxorum mole, sed virtutibus aedificatur ut Civitas, admirabili firmitate stabiliens super seipsum aedificavit, & ad evidentem roboris firmitatem se vivum constituit angularis lapidem firmamenti, in altis vero Sanctis, & electis Catholicae doctrine columnis alia fundamenta substituens, ut in montibus fundata sanctis

sanctissimis nullum vereri posset ruinæ dispendium, sed continuo sanctorum innovata splendoribus nequicquam sub modio depressa lateret, verum etiam sublimata per amplius cunctis præberet salutis exemplum: hanc itaque veluti Reginam a dextris suis in vestitu deaurato per eximium prophetam affirmat assistere mira varietate virtutum circumdatam, idest sanctorum, & electorum suorum, quibus per Spiritum Sanctum varia distribuit munera gratiarum, namque aliis Sapientiæ, aliis scientiæ sermonem dedit; aliis fidem, aliis sanctorum atque virtutum gratias, aliis prophetiam, discretionemque Spirituum, linguarum quoque genera, interpretationesque sermonum provida moderatione concessit, dividendo singulis pro suæ mirificæ voluntatis arbitrio. Ea namque est mira, & decora varietas in summo angulari lapide Christo Jesu coadificata quam gloriosus Apostolorum Chorus, electorumque spirituum, societasve sanctorum omnium quotidie representat. Sed ante alios ad componendum in terris doctrinæ celestis exordium, & novæ fidei fundamentum hos mundi triumphatores Apostolos duodecos prælegit ex millibus, aliosque discipulos, ut eorum doctrina in orbem terrarum longe lateque diffusa sacrosanctâ fulgeret Ecclesiâ, & vetusta servitute sublata, cunctis fidelibus salutis, & vitæ semita panderetur. Isti quidem sancti magistri optimi imitatores, verique discipuli, qui in omnem terram cœlestem imbrem, & divina mysteria diffundentes sanguine proprio plantaverunt Ecclesiâ prælibatam, ac per universon orbem Crucis circumtulere vexillum: Triumphales deinde post duces hos primos athletarum, & Martyrum suorum cohortem lucidissimam, palma martyrii rutilantem, & in sanguine Agni candidatam devicta morte tranmisit, qui in confessione fidei perseverantes, intrepidi vincula, cruciatus, & verbera, plurima quoque tormentorum sævissima genera, mortemque perpassi sine murmure aut querimonia Victores optimi ad æternam gaudia, & præparata eis munera properarunt, imitandum exemplum, æternamque memoriam cunctis de se fidelibus relinquentes, illustrant etiam hinc eandem Ecclesiâ, & supernam Jerusalem novam ad ipsius validissimum præsidium destinati Doctores incliti, ac splendidissimi Sacerdotes, & Confessores, qui fide, & lenitate præclari, castitate pollentes, non caduca, & transitoria mundi hujus oblectamenta, non fallaces divitias, sed que Jesu Christi sunt tota animi intentione quærentes, sanctorumque operationum exercitatione animas Deo lucrifacere, imbecilles regere, fidem Catholicam verbo, & exemplo corroborare in omni doctrina, & sapientia curaverunt, ac talenta eis credita tanquam fideles, & providi dispensatores, multiplicata Patri familias reddiderunt, & tandem semetipsos charitatis luce vestitos, justitiæ, & misericordiæ margaritis ornatos, atque virtutibus reli-

quis redimitos absque macula aut admixtione pravi operis ante conspectum Dei se immaculatos exhibentes velut sydera in firmamento coruscant. Virgines denique ad ornatum Reginæ hujus mirificum idem opifex destinavit, quæ venienti sponso virgini filio Virginis unigenito castis, & immaculatis acibus, nitidis, & mundis corporibus occurrent secum in vasis suis oleum deferentes, & ad cœlestes nuptias specioso præ filiis hominum immaculato Rege invitante introeunt cum omnibus sanctis, & electis Dei, illic sine fine mansuræ. Omnia namque hæc, & alia quamplurima, quæ potius attenuare, quam explicare possemus ad decorem, & pulchritudinem Reginæ hujus eodem Spiritu Sancto gratiarum charismata varia, & innumera infundente, tam provide, tam laudabiliter, & opportune ab æterno ordinata sunt, ut etiam post admirabilem ipsius Redemptoris Ascensionem Vineâ Domini Sabaoth, militans prælibata Ecclesiâ providis commissis cultoribus excolenda novo semper foetu fecundior novos continuo cultores parturiat, & novissima Sanctorum gemina, quæ eam ab hostibus teantur incurfibus, & veluti sepe circumdatam illius sanctitudinem illidi non sinant insulsubit bestiarum, quotidie reproducat. Ipse namque Redemptor noster, qui eam supra se lapide quidem firmissimo stabilivit, eandem protegit, tuetur, atque defendit, eamque in tempore visitat, continuo juvat, auget, & ad consummationem sæculi nobiscum usque permanens, nusquam eam deserit, nec relinquit, illi semper, & undique nova præsidia, novos milites, novos cultores exquirat.

§.1. Sed, & ab extremis terrarum insulis, & remotissimis, totoque orbe divisis partibus cœlestis agricola more suo piissimo eandem vineam novo germine, novo præfule, & cultore dignissimo visitavit, & ad novellas virgulas inserendas, vetustasque purgandas, fovendas, regenerandasve transmisit probatissime ac exemplaris vitæ virum mirabilem Osmundum Saresberiensem Antistitem in hac tam miræ Reginæ hujus varietate, sanctorumque cohorte merito collocandum, ac Beatorum Spirituum cætui suis excellentibus meritis sociandis immo verius sociatum; cujus quidem originem vitæ, actus, mores, ac merita, & quæ summus idem Pontifex Deus in ipsius sanctitatis præmium monstrare dignatus est, splendida quoque ipsius miraculo omni pœne genti, Anglorum præsertim Regni notissima, ne præsens sæculum, & nostri temporis ætas silentio omnino prætermissa ignoret, brevi sub compendio complectenda, ac e multis, & maximis pauca non reticenda esse censuimus, ut pro ipsius gloriosi præfulis, & Confessoris optimi gloria cunctis fidelibus innotescant.

§. 2. Vir namque Sanctissimus Osmundus generositate præclarus, ex stirpe Regia, ac etiam Ducali nobilissima ortus profapia, postquam pueriles annos laudabiliter,

biliter, & supra quam illa ætas pateretur exequerat, bonæ indolis adolescens non lasciviam complexus est mundi, non Sæculi oblectamentis, & voluptatibus dumlibere uti posset, applicuit animum; sed cor gerens senile, ac omnes sui cordis cogitationes ad ipsum Creatorem suum, & opera charitatis, pietatisque convertens, in Dei timore, & proximi charitate eo magis fervebat in dies, quo majori utens pro qualitate temporis ratione, cuncta sub sole vanitati subiecta, transitoria, & caduca juxta sapientis sententiam fore cognovit.

§. 3. In virum deinde perductus, & Evangelicæ doctrinæ verus imitator existens, ac illud Salvatoris nostri semper ante oculos sui cordis fixum tenens; nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse Discipulus; thesauros incomparabiles sibi in Cælo reconderet, ubi fures nequicquam effodiunt, nec furantur, ubi tinea corrodere aut demoliri non potest, de bonis a Deo sibi collatis in Regno Angliæ Saresberiensem Ecclesiâ tunc in suis primordiis tenuem, & exilem nova quadam fundatione ac ampla sui patrimonii dote, & largitione dotavit, prædia scilicet, terras, & possessiones sui Comitatus Dorsetiæ, & quæ ad ipsum alias legitime pertinebant; libros quoque, calices, cruces, paramenta, & quæcunque alia optima ornamenta, sicut cathedralem decebat Ecclesiâ sibi pia liberalitate donavit, ac ultra primitus institutas quatuor alias dignitates, triginta duos Canonicatus, totidemque præbendas, alios quoque Archidiaconatus, & officia in eâ erexit; itaut qui suis existentibus meritis in ipsius, quam dotavit ornavitque, Saresberienfis Ecclesiæ post decessum primi Episcopi fuit ordinatus antistes incredibili perfectione, & gratia, necnon Sancti Spiritus lumine illustratus non solum doctrina verbis, ac operibus optimis pariter, & exemplis commissum sibi gregem Dominicum informaret, ipsamque Ecclesiâ, cui digne præerat, illiusque Capitulum, & personas Sacris dogmatibus insigniret, & nusquam magis quam suo in tempore disciplinæ censura, morum honestas, & gravitas personarum in ea vigeret; sed ne promissus actibus rerum turparentur officia, ac in divinis aliqua posset in antea suboriri confusio, librum quemdam perutilem, & proficuum ordinalem alias consuetudinalem appellatum, quo fere universæ ipsius Angliæ Vvalliæ, & Hiberniæ ac aliorum quamplurimum locorum utuntur Ecclesiæ, necnon sanctorum vitas pro eorum gloria, & cleri instructione composuit, atque alia quamplurima imitanda posteris exempla continuo præbuit, ita ut divinum potius quam humanum eum cuncti putarent, quem Divina miseratione tot gratiarum muneribus illustrabat.

§.4. Erat namque vir totius prudentiæ, humilitatis, & patientiæ, pietate magnificus, pudicitia, castitate ornatus, sobrietate, & abstinentia præditus, bonitate. Tom. III. Par. III.

Ecclesiâ Saresberiensem dotat.

Canonicatus & Præbendas erigit.

Episcopus Saresberienfis ordinatur.

Varia editi generis sui monumenta.

Ejus virtutes.

Narratio.

S. Osmundi origo.

conspicuis, laudabilis sanctitate, morum honestate, virtutibusque præclarus, semper in fide constantior, præstantior spe, charitate ardentior, justitiæ, & æquitatis amator, qui carnis illecebras, jactantiam, pompam, & arrogantiam, ac cœtera vitia mira animi magnitudine contempsit atque calcavit; & sanctis usque ad consummationem corporis consummatis operibus, ac sacramentis Ecclesiasticis demum rite perceptis, in confessione veræ fidei, & æternæ Trinitatis firmiter perseverans, puram, & immaculatam animam reddidit creatori.

§. 5. Cujus quidem meritis summus, & omnipotens Creator, omnium Deus Remunerator animarum fidelium cœcis visum, surdis auditum, mutis loquelæ officium, claudis gressum, naufragis periclitantibusque portum salutis restituit, & indulget, ab immundis quoque spiritibus obsessos, furiosos, rabidos, & amentes, atque diabolica fraude oppressos penitus liberavit, diversarum quoque egritudinum incurabilium mole subactis, Paralyticis, contractis, tremulis, languidis, validis, & infirmis sanitatem restituit, & quod admiratione maxima dignum est, plures mortuos suscitavit, alia etiam multa miracula, quæ ipsius sancti meritis, & precibus sublimis Deus operatus est, & operatur in dies, si per singula recensere vellemus, longius nimum in ipsorum recitatione prolixitas resultaret.

§. 6. Sed ne quidem ea, quæ præclara, & admiranda sunt devotis fidelibus illius singula gesta legere cupientibus abscondita fiant, libellum, in quo omnia fideliter annotari curavimus, una cum processibus super præmissis confectis, quos in archivio ipsius Ecclesiæ ad perpetuam rei memoriam conservari mandavimus, poterunt lectitare.

§.7. Verum quia idem Paraclitus Spiritus, qui mentem hujus Præfulis sui luminis claritate replevit, & qui Sacrosanctæ Ecclesiæ Catholicæ profutura prævidet, diu latere non sinit, bonæ memoriæ Ricardum Episcopum, necnon Decanum, & Capitulum dictæ Ecclesiæ Saresberienfis, ac alios plurimos graves, Deoque devotos viros inspiravit divinitus, ut Sanctæ Sedi Apostolicæ præmissa omnia nota facerent, ac eidem Sedi, cui tunc Gregorius Papanonus Prædecessor noster præsidebat, humiliter supplicarent, ut prius per illos viros graves, & expertos, quibus id duceret committendum, de sanctimonia vitæ, virtutibus, ac miraculis ejusdem Episcopi receptis informationibus, & testibus fide dignis, prout tantæ rei gravitas exigebat, eum sanctorum Dei catalogo adscribere dignaretur, idem Prædecessor intendens in hujusmodi causa juxta rei magnitudinem cum debita deliberatione, & maturitate procedere, bonis Bachoniensi, & Conventrensi Episcopis, ac Abbati monasterii de Stanley, eorum propriis nominibus non expressis, suis dedit litteris in mandatis, ut super vita, & miraculis hujusmodi diligenter

Miracula.

Acta.

Gregorius ix. pro Canonizatione supplicatur.